



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

5. De 7. Petitione: Sed libera nos à malo, Amen

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De 7. Petitione. *Sed libera nos à* V.  
*malo. Amen.*

**I.** **E**Xpende à quibus & qualibus malis, & quomodo hinc petenda liberatio. Mala hæc duplicia sunt, culpæ & pœnæ. Mala culpæ sunt peccata mortalia & venialia. Mala pœnæ sunt rursus duplicia: huius & futuræ vitæ. Mala pœnæ huius vitæ sunt omnes æramnæ & miseræ animæ & corporis in hac vita infligi solitæ; animæ quidem obscuraciones intellectus, perplexitates, scrupuli, pronitas ad malum, crebra in commissa peccata relapsio, impœnitentia, obstinatio in malo, corporis verò omnis generis infirmitates, & afflictiones, bellum, fames, pestilentia, mors improvisa. Mala pœnæ alterius vitæ, sunt privatio æternæ gloriæ, & omnia tormenta gehennæ culpis mortalibus pœnitentia non deletis debita; aut suspensio eiusdem gloriæ, & temporales pœnæ, pro peccatis venialibus aut mortalibus quoad pœnam necdum perfectè expiatis, in purgatorio persolvendæ. *Quanta*

est horum malorum multitudo? quanta singulorum grauitas? quam diuturna duratio? nonnullorum quidem æterna, aliorum verò temporalis, sed plerumque valdè diuturna, non raro perseverans tota vita. Quanto ergò feruore à Deo petenda eorum amolitiō, & quidem modo perfectissimo, 1. Cum amplissimo charitatis & commiserationis erga omnes affectu, ut non solum nos, sed omnes, etiam inimici, ab his liberentur, aut præseruentur, ne in fine suo vltimo consequendo præpediantur. 2. Ex purissima intentione maioris gloriæ Dei, ne is occasione horum malorum aut æternum blasphemetur ab ijs, à quibus erat benedicendus, aut minus saltem glorificetur. 3. Cum eximia fiducia erga misericordissimum Deum, multo prouidenciam ad nos ab his liberandos, quàm nos sperare aut optare auderemus. 4. Cum profunda humilitate, & de proprijs meritis diffidentia, indignos nos tanta misericordia & liberalitate eius reputando. 5. Cum absoluta resignatione in manus paternæ Dei prouidentia, quoad mala pœnæ tem-

temporalis, quæ nullam culpam includunt, vt ipse pro beneplacito suo dignetur nos aut præseruare, aut ab his vel illis, quando & quomodo placet, liberare, aut saltem efficere, vt omnia nobis cooperentur in bonum. His expensis ex zelo gloriæ Dei, salutis & perfectionis propriæ & alienæ, cum tali perfectione, pro te & omnibus à malis his liberari pete, & sæpius hoc desiderium renouare statue.

II. Quàm paratus sit Pater misericordiarum nos à prædictis miserijs præseruare, modo nos tali misericordia non reddamus indignos ingratitude, oscitantia & malitia nostra. 1. Propter infinitæ misericordiæ suæ viscera, quibus omnes, maxime filios suos in afflictionibus ad se confugientes, amantissimè complectitur. 2. Propter immutabilia promissa, quibus auxiliū afflictis ad se sincerè refugientibus polliceri est dignatus, vti per regium Vatem: *Inuoca me in die tribulationis: & P sal. 49. eruam te, & honorificabis me.* 4. Propter infinita Filij merita, quibus abundantissimè omnibus hanc gratiosam à malis præseruationem, aut liberationem promeruit. Quanta ergò fiducia in omni angustia ad sinum diuinæ Miseri-

cordiæ nobis confugiendum? Fiducia,  
 & feruor se culpa sua non reddendi  
 vnquam indignum tanta misericordia.  
 III. Quàm perfectè Christus, B. Vir-  
 go, alijque Sancti hæc sanctissima in  
 his septem Petitionibus comprehensa  
 desideria nunc prolixius, nunc breuius  
 frequentarint, & quidem modis in-  
 nuatis perfectissimis: quoties hæc ea-  
 dem desideria breuissimis suspirijs cõ-  
 pendiosè iterarint, quam facillè hos, si  
 velles, posses æmulari; nunc hos, nunc  
 illos affectus paulò prolixius exercen-  
 do; nunc breuissimè omnes renouan-  
 do, dum corde & ore pronuntias: *A-  
 men*, id est, fiat, videlicet desiderando  
 à te & omnibus hæc septemplex desi-  
 deria perfectissimè renouari, & libera-  
 lissimè à Deo impleri. Quod quàm  
 facillè est, quàm Deo gloriosam, tibi  
 meritorium, proximis fructuosum!  
 Hoc tum primùm euidenter videbis,  
 quando meritoriè ne *Amen* quidem  
 amplius dicere poteris. Feruor fre-  
 quentandi affectus & desideria ora-  
 tione Dominica comprehensa.

- |      |  |                |    |
|------|--|----------------|----|
| VI.  | De Caritatis erga pro-<br>ximum natura, pro-<br>prietatibus, gradib. | } 6. p. med. { | 23 |
| VII. | De fundamētis huius<br>fraternæ caritatis.                           | } 6. p. med. { | 24 |